



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

XXXV. De septimanariis coquinæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

rit per mensem stet degradatus post omnes professos  
& hoc nisi intra triduum Superiori Monasterij no-  
tificauerit.

*Si omnes aequaliter debeant necessaria accipere.*

CAP. XXXIV.

*Abor. 4.*

**S**icut scriptum est: Diuidebatur singulis  
prout cuique opus erat, vbi non dicimus  
vt personarum, quod absit, acceptio sit, sed  
infirmorum consideratio. Vbi qui minus  
indiget agat Deo gratias, non contristetur.  
Qui verò plus indiget humilietur pro infir-  
mitate, & non extollatur pro misericordia  
& ita omnia membra erunt in pace. Antea  
omnia ne murmurationis malum pro quali-  
cunque causa in aliquo qualicumque verbo  
vel significatione appareat. Quod si cõpra-  
hensus fuerit quis, districtiori discipline sub-  
datur.

*De septimanarijs coquina.* CAP. XXXV.

**F**ratres sic sibi inuicem seruiant, vt nul-  
lus excusetur à coquinæ officio, nisi a  
ægritudine, aut in causa grauis utilitatis quæ  
occupatus fuerit: quia exindè maior merces  
& charitas acquiritur. Imbecillis autem  
procurentur solatia, vt non cum tristitia  
faciant, sed habeant omnes solatia secundum  
modum congregationis aut positionem loci.  
Si maior congregatio fuerit, cellerarius excu-  
setur.

culescitur à coquina, vel si qui, vt diximus, maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri verò sibi sub charitate inuicem seruiant. Egressurus de septimana, sabbato munditias faciat. Linteas, cū quibus sibi fratres manus aut pedes tergant, lauet. Pedes verò tam ipse qui egreditur, quam ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerii sui, munda & sana cellera: ioreconsignent. Qui cellerarius item intranti consignet: vt sciat quid dat, aut quid recipit. Septimanarii autem, ante vnam horam refectionis, accipiant super statutam annonam singulos biberes, & panem: vt hora refectionis sine murmuratione & graui labore seruiant fratribus suis. In diebus autem solennibus vsque ad Missas sustineant. Intrantes & exeuntes hebdomadarii, in oratorio mox Matutinis finitis Dominica, omnium generibus prouoluantur, postulantes pro se orari. Egredientes autem de septimana dicant hunc versum. Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me. Quo dicto tertio, accipiat benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens, & dicat. Deus, in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, & accepta benedictione, ingrediatur.

I. (N V L L V S E X C V S E T V R.) Ergo nec Prior Claustralis, maximè cum Prelatus erit in Monasterio: excepto Cellerario de quo infra in eodem capitulo. Qui Prior ad mensam quoque etiam absente Prelato legere & seruire debet.

I. (SIN-

1. (SINGVLOS BIBERES, ET PANEM.)  
*Infra, de hebdomadario Lectore dicit Mixtum, quod intelligimus tātum vini quantum capere potest vnus scyphus, cum quo in Refectorio bibitur, & circa vncias duas panis.*

2. Quòd verò dicitur de hebdomadariis Coquina, idem dicitur de omnibus officialibus, qui in suis officiis occupati, nequeunt prima mensa interesse. In Ieiuniis verò de precepto, fieri potest cum licentia Superioris Monasterij.

3. (PROVOLVATVR.) Declaramus quod egrediens de septimana, Dominico die finito Matutino, stet genibus flexis ante altare, & dicat versus: Benedictus es Domine Deus, &c. quo tertio Choro repetito: Superior dicat Versus, Saluum fac seruum tuum, sicuti in talium ceremoniarum particulari libro notatum est. Posthac statim, qui ingreditur dicat simili modo, ter: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina, quo tertio repetito à Choro, Superior subiungat versus: Saluum fac seruum tuum, sicut notata sunt, vt supra.

De Infirmis Fratribus. CAP. XXXVI.

**I**nfirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, vt sicut reuera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit, Infirmus fui, & visitastis me. Et quòd fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed, & ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi seruari, & non superfluitate sua contristent Fratres

*Math. 25.*

luos